

proper tools to do it would be essential – the *CIL* as it is now is not perhaps the best possible tool for approaching the written material of Pompeii.

Eeva-Maria Viitanen

Corpus inscriptionum Latinarum. Consilio et auctoritate Academiae Scientiarum Berolinensis et Brandenburgensis editum. Vol. IX suppl. 1: Regio Italiae quarta. Fasc. 2: Marrucini – Paeligni – Vestini. Edidit MARCO BUONOCORE. Berlin – Boston, De Gruyter 2019. ISBN 978-3-11-067164-3; ISBN (e-book) 978-3-11-071762-4. CXXV–CLXXX, 1267–1712 pp. EUR 239.

In huius ephemeridis volumine anni 2020 (*Arctos* 54 [2020] 403–409) scripsi de fasciculo primo (edito a. 2018) continente titulos Samnii Frentanorumque. Quae in universum ibidem scripsi de supplemento scripto a Marco Buonocore (“B.”) ad *Corporis* voluminis IX partem eam, quae dedicata est titulis regionis IV, cum non putem hic esse repetenda praeter hoc unum, agi de opere magnifico summis laudibus digno, possum iam transire ad ipsum opus. Hic fasciculus dedicatus est titulis Marrucinatorum Paelignorum Vestinorum ita, ut contineat addenda ad titulos editos in corpore Mommseniano anni 1883 nn. 3012–3648 et 6316–6346 et 6408a–6412a (item ad titulos quosdam alios a B. primum attributos gentibus supra dictis) et titulos novos, scilicet qui post a. 1883 innotuerunt, nn. 6974–7638, id est titulos plus quam 650; hi tituli novi quomodo sint distributi inter tres populos supra dictos, hic apparet:

	paginae huius voluminis	numeri
Marrucini	1267–1305	6974–7039 66
Paeligni	1306–1545	7040–7446 407
Vestini	1546–1693	7447–7638 192

Notabilis mihi videtur numerus satis magnus titulorum Paelignorum. Quomodo tituli tam “veteres” quam novi distributi sint in capitula hac tabula illustratur (in qua ratio titulorum falsorum et alienorum non est habita):

Marrucini	<i>CIL</i> IX (1883)	<i>Ibid.</i> add.	<i>CIL</i> IX S. 1:2
(2019)LXVI. Teate	3012–42	6316–8	6974–7039
Paeligni			
LXVII. Pagus Interpromium	3043–73		7040–7099

LXVIII. Sulmo	3074–3136. 3227a.	6319–21. 6408a	7100–7220
LXIX. Pagus Lavernae	3137–3143		7221–7225
LXX. Corfinium	3121a. 3144–3301.	6322–46. 6408b–12a	7226–7381
LXXI. Superaequum	3181. 3245. 3302–35		7382–7446
Vestini			
LXXII. Aternum vicus	3336–3341		7447–7448
LXXIII. Angulus	3342–3346		7449–7450
LXXIV. Pinna	3347–3374		7451–7493
LXXV. Aufinum	3375–3413		7494–7519
LXXVI. Peltuinum	3323. 3414–3512. 4209		7520–7596
LXXVII. Furfo	349* . 3513–3568		7596a–7604
LXXVIII. Fificulanus (“Vicus potius quam Pagus” –)	3569–3601		7605–7621
LXXIX. Aveia	3602–3648. 4194		7622–7638

(De numeris crassioribus v. *Arctos* 54 [2020] 404.) Cum legi addenda ad titulos editos iam in *Corpore* anni 1883, observavi titulos aliquot qui temporibus Mommseni existerunt iam desiderari; sunt autem (praeter frustula quaedam minoris momenti) e.g. hi: 3013. 3015. 3017. 3021 (nota titulum tempore Mommseni fuisse Teate in curia). 3022 (“hodie in museo”). 3025sq. 3033. 3037 (“Chieti in museo”). 3043 (id.). 3053. 3056. 3060. 3080 (titulus L. Stai Murci). 3094. 3116. 3130. 3154sq. (tituli senatorum). 3161sq. 3167. 3180. 3182 (“litteris pulcherrimis”). 3192. 3208. 3215. 3232. 3234. 3245 (“litteris pulchris et satis antiquis”). 3248. 3256. 3264. 3272. 3281. 3309. 3311. 3312. 3313. 3315. 3329 (“litteris antiquis”). 3345sq. 3363. 3365. 3374. 3375 (carmen in honorem Silvani). 3376. 3384. 3391sq. 3395. 3397. 3403. 3407. 3409sq. 3422. 3447. 3482. 3498. 3501. 3504. 3587. 3597. 3600. 3605sq. 3609sq. 3611. 3628. 3630. 3632. 3641sq.

Sunt tamen etiam tituli quidam, qui Mommseno erant noti ex libris tantum antiquioribus, sed qui post *CIL* editum sunt denuo reperti: e.g. 3014 (pars tituli); 3129. 3147 (cum im. phot.). 3274 (cum im. phot.). 3337 (cum im. phot.). 3359 (cum im. phot.). 3400 (exstat im. phot. facta a. fere 1960). 3517. 3590. 3596 (cum lectione meliore). 3620. Praeterea notandum est titulos iam in *Corpore* Mommseniano editos multos hic esse depictos photographice, e.g. 3014. 3019. 3036. 3044. 3046. 3051. 3052. 3064. 3075. 3087. 3099 (sed titulus iam periit). 3101. 3110. 3124. 3136. 3144. 3147. 3156. 3160. 3163. 3175sq. 3179. 3186. 3193. 3203. 3210. 3216sq. 3219. 3233. 3237. 3239sq. 3274. 3304. 3310. 3312sq. 3318. 3320–22. 3325. 3327. 3334. 3337sq. 3351. 3353sq. 3356. 3359. 3378. 3382. 3385. 3386. 3387. 3402. 3405. 3323. 3414. 3416. 3419. 3421. 3423sq. 3435. 3437–40. 3443. 3448. 3450. 3457sq. 3464. 3468sq. 3479sq. 3487. 3495sq. 3508. 3512. 3515. 3517. 3521sq. 3535. 3552sq. 3555sq. 3569.

3572. 3574sq. 3578. 3583. 3586. 3602. 3612. 3614. 3617. 3627. 3629. 3631. 3637. 3643. 6316. Lectiones denique titulorum quorundam ita a B. sunt correctae, ut hi tituli hic sint repetiti sub numero novo; nota e.g. 6976 (= 3016). 7086 (= 3071). 7243 (= 3173). 7272 (= 3200). 7265 (= 3209). 7286 (= 3214). 7293 (= 3235). 7317 (= 3270; legendum est *Petidiae*, non *Suetidiae*). 7314 (= 6412). 7546 (= 3507 addito fragmento novo). 7565 (= 3511). 7545 (= 3507). 7665 (= 3511).

Quod ad titulos post Mommsenum repertos attinet, inter eos, qui in hoc volumine proponuntur, non sunt multi omnino inediti, id quod ut puto inde partim explicatur, quod ipse B. ante hunc fasciculum editum numerum maximum titulorum in ephemeridibus et libris variis edidit; praeter frustula quaedam observavi titulos ineditos hos: 7162. 7178. 7224 (titulus notabilis non facilis interpretationis). 7270b. 7563. 7567. 7581. 7588. 7596a (tabulae duae ad eandem aram pertinentes in quibus memorantur sacrificiones, *agnum Iovi Astilico*, quae appellatio nova est, et *agnum pul(l)u(m) Hyntae Tebrae*, quod nomen videtur posse conferri cum quibusdam vocabulis quae leguntur in tabulis Eugubinis Umbris). 7601a. 7629a. Tituli qui non leguntur in *AE* vel in *EE* vel in *CIL* I² et ideo fortasse a studiosis adhuc ignorabantur sunt praeter frustula quaedam e.g. 7048. 7053. 7056. 7057. 7060. 7065–71. 7073. 7077. 7080. 7083. 7091. 7097sq. 7340. 7492. 7506. 7507. 7521. 7526. 7532. 7535. 7545. 7547. 7549 (in quo memoratur nomen *Arquitius*, ante hunc titulum repertum notum ex solo titulo urbano *CIL* VI 12352). 7550. 7552 (titulus Ti. Caesiae Crescentinae cuiusdam, quae potest fuisse liberta Ti. Catii Caesii Frontonis consulis a. 96 p. C.). 7555. 7561. 7564. 7568–70. 7575–77. 7579sq. 7582–87. 7597. 7603sq. 7609sq. 7613–17. 7629.

Ut iam factum est in fasciculo anni 2018 dedicato titulis Samnitium et Frentanorum, capitula singula continent primum addenda et corrigenda ad titulos editos a Mommseno a. 1883, deinde titulos novos. Ad titulum quemque proponitur commentarius omnia explicans (at vide infra ad nomina quaedam notabiliora) et bibliographiam omnem necessariam laudans; quibusdam titulis, praesertim carminibus, additur versio Italica (e.g. 7104. 7106. 6328. 7256. 7271. 3321. 3337. 7447. 3368. 7489. 3375. 3409. 3429. 3473. 3488. 7556. 7566. 3513). Quanti laboris hoc opus fuerit, apparet vel ex titulo 7386, quem B. edidit “ex diagrammate a De Nino ipso delineato, quod Romae repperi apud *Archivio di Stato*”. De titulis, quorum lectio vel interpretatio a B. corrigitur, notemus e.g. hos (hoc loco non loquar de titulis attributis aliis civitatibus quam in *Corpore* a. 1883; observari tamen potest hoc, titulum 4194 sepulcralem Sex. Sentii Caecilianii consulis a. 75/76 iam attribui [p. 1685] Aveiae pro Amiterno; sequitur, ut hic homo videatur esse origine non, ut sumitur in *PIR*² S 388, Amiterninus sed Aveias): **3058**: vv. 10–14 postea additos esse vidit B. **7052**: *Rufrio* (ita *ILS* 7494a) corrigitur in *Rufio*. **6319**: non est “tabella aenea” (Mommsen) sed lucerna. **7221** = *CIL* IX 335*: titulus hic dedicatus *I.O.M.* iam restituitur inter genuinos. **3156**: de nomine restant litterae *-ciae* (*-viae* B. in editionibus prioribus); ita non iam potest cogitari de Lucilia Benigna ea, quae memoratur in 3155 et 3157. **6344**: Bene B. vidit hic memorari nomen *Salvidii*. **3471**: Intelligendum

esse *Caesienae* bene vidit B. In universum notabile est B. in commentariis ad titulos a se antea editos se ipsum hic et illic corrigere (e.g. 7293. 7296. 7340. 7391. 7397. 7399 [*Rutiliae* pro *U[rs]iliae*]. 7420. 7463. 7485. 3406. 7494 [*Lapsicidio* pro *Appuleio*]. 7536. 7573). In titulis singulis sive tractandis sive explicandis interdum tamen mihi videtur B. paulum erravisse aut necessaria quaedam omisisse. Hoc mihi hic liceat illustrare quibusdam exemplis (in titulis laudandis secutus sum ordinem eum, in quo tituli in hoc volumine proponuntur ita, ut mixti inter numeros *Corporis* a. 1883 sint numeri huius supplementi).

7003 *Alexander Maraidi Sex(ti) s(ervus)* (cf. 7305 *Polipi T. s.*, 3518 *Munatidi A. ser.*, 3527 *Acuto Noni C. s.*): in definiendo tempore horum titulorum potuit laudari opusculum quod scripsit de nominibus servorum antiquioribus A. Oxé, *RhM* 59 (1904) 108–140, qui p. 140 observat nomina huius generis, in quo praenomen patroni memoratur post nomen, in usu fuisse a Sulla usque ad finem rei publicae liberae praeter titulos quosdam sacros (“sakrale Inschriften”), in quibus nomina huius generis inveniuntur etiam “postea” (“länger”; ex p. 124 apparet eum significare decennia tria prima aetatis Augusti). **7017**: in lectione tituli omissum est vocabulum *filio*, cum ex im. phot. appareat inscriptum esse *L(ucio) Poditio L(uci) f(ilio), filio suo* (de vocabulo *filio* repetito cf. *Arctos* 27 [1993] 95sqq.). **7055**: “*posit* pro *posuit*” (eadem observantur saepius, e.g. ad 7075. 7187. 7192); at *posit*, quae forma non est rara, scriptum est potius pro *posiit* vel *posivit*, quae sunt formae aliae perfecti verbi *ponere*; cf. *posit* 3192 et 7314, *poseit* 7156. 3212. 3247, *posieit* 7179. 7180. 3267, *posierunt* 3198. 7380. 3325. **7071**: *Rest ‘i’ t’ u’ t’ a’*: mihi hae litterae non videntur postea additae (cf. p. CLXXIX *Additamentum antiquum*) sed eo ipso tempore quo litterae aliae a lapicida inscriptae, minoris tamen paulo moduli ideo, quod cognomen totum in eodem versu inscribere voluit (idem dixerim de 7079). **7086** (= 3071) v. 5 *divi* ; 6 *ire*. **7099**: addi potuit *Hireneti* esse dativum nominis *Irene*. **3078**: *iventutis* mihi videtur non tam “forma” quam potius ratio quaedam scribendi, secundum quam litterae duae *VV* redduntur una *V* (ut e.g. *vi(v)us* 7143 et 3190; *iu(v)enis* 7253; *Primiti(v)us* 7324; *Lasci(v)us* 3473); ita hoc loco scripserim non *iventutis* sed *i(u)ventutis*. **3098**: addi potuit interpretatio compendii *Brit.* (*Brit(tiae)* putaverim). **3100**: mihi, ut iam Mommseno, titulus videtur valde suspectus cum propter seviratum patri ingenuo attributum tum propter nomen gentilicium *Lampridii* et praenomen filii brevium *Luc.* in titulo qui prae se fert speciem tituli non recentioris aetatis (sed propter vocabulum *incomparabilis* non antiquissimi) et indicationem patris omissam inter nomen et tribum filii. **3117**: *MISIRVM* sine dubio a Phoebonio errore lectum est pro *meserum* (i.e. *mensium* gen. pl.), quae forma hic et illic in titulis recentioris aetatis invenitur (*ICVR* I 3740; *CIL* III 2602; *ILJug.* III 1958; *menserum* *AE* 1986, 601 Sirmii). **7147**: ad hunc titulum *Vibae* (sic) *Metiae T. (f.) anacethae Ceriae* enumerantur tituli Osci alias *anacetas* (v. sim.) memorantes; ex his titulis n. 8 *Salutae Caediae C. f.* fortasse debuit addi titulis in *CIL* receptis, cum propter formam nominis et vocabulum *f(iliae)* videatur aut Latinus aut certe paene Latinus. Ceterum mihi quoque videtur posse sumi vocabulum *anacetae* significare

sacerdotem (cf. B. p. 1371; cf. *sacerdotes Cereris* nn. 7148sq.). **7149**: addi potuisset hic (item n. 3203 et n. 3306) agi de nomine *Vārii* eo, in quo littera *a* est longa, et quod distingui debet a nomine *Vārii* (cf. de his duobus nominibus Schulze p. 249). **7160** *incomparabili pu[dicitia] potius quam pudicitiae?* Inter *solam* et *erga* fortasse non est ponenda virgula, cum quae sequuntur videantur explicare ea, quae praecedunt; *erga* (in *erga adfectionem eius maritalem*) enim hoc loco videtur significare idem fere ac *propter* (cf. J. Linderski, *Roman Questions* II [2007] 374). **7164**: V. 15 *quoniam sperabant se citius [anteire?] suos* (scil. filios mortuos): adverbium *citius* mihi non videtur optime convenire verbo *anteire*; nescio an debeat potius cogitare de *revidere* vel sim. (cf. *persequi tam cito quam ipsi cupiunt* in vv. 19sq.; verbum quod desideratur in v. 15 vertitur ‘rejoindre’ in versione in AE 1989, 247) V. 16: Fortasse *eo<run>dem?* Coniunctio *dum* mihi videtur causalis (fere = *quia*). V. 18: *qui* putaverim esse delendum. V. 31: *comportare* (in *si qui te rogarit, qui hoc comportarit*, “ha fatto” B.) propter ea quae sequuntur (*nam ipsa miseria docet etiam barbaros scribere misericordias*) mihi videtur significare idem fere ac *scribere* (ita etiam Linderski, *ibid.* p. 374) ita ut hoc verbum sit relatum non ad ipsum monumentum, sed ad inscriptionem. V. 35: *quid* in *si quid la<p>sus* (“se qualche errore”) intelligendum videtur esse adverbialiter aut corrigendum est in *qui{d}*. V. 40: *in[tulerit]* (in *si quis hoc sepulchr[um]* [sic] *aut hunc titulum laeserit, in[tulerit]*, (*sit*) *illi* vel *illis*) *fortuna mala* eqs.) non bene intellegitur, et in v. 41 pro *mer[itu]m* mihi videtur posse legi id quod expectaveris, *mer[itu]s* (participium verbi *mereor*); ita proposuerim hunc locum (vv. 40sq.) legendum esse ita: *si quis ... laeserit, in[ferat] illi mortem* (vel sim.) / *fortuna mala et quod mer[itu]s est*. In commentario p. 1381 “*imprecamus pro imprecamus*” corrigendum est in “*imprecamus pro imprecamur*”. **7182**: “Nomen Opp(e)ii”: at *Oppius* non est idem nomen ac *Oppeius*, quod nomen habet suffixum *-eius* (Graece *-ήιος*). **7192**: Addi potuit in commentario P. Pinarium P. f. esse patrem, P. Pinarium P. f. Coronam, qui primus in familia sua habuit cognomen, filium. **7224**: Cum nomen *Istacii* non sit notum, ego in v. 2 suppleverim *Istaci[di]a*; quamquam observandum est nomen *Istacidii* extra Pompeios rarissime inveniri. **3168**: mihi pronomen *is* videtur esse referendum non ad Alfium Maximum sed ad Herennium Rufum. Praeterea titulum attribuerim saec. I potius quam II. **3174** [---f.] *Ser. ICVNDO Cretasio aed(ili)* eqs.: videndum, num possit sumi *ICVNDO* errore esse aut inscriptum aut lectum pro *Iucundo*; secundum cognomen *Cretasius* putaverim esse nomen gentilicium (aliunde non notum, sed cf. *Cretarius* et e.g. *Caeparius* ~ *Caepasius*) quo hic homo sit usus pro cognomine secundo. **3259** (titulus qui ante Mommsenum periit): cum adsit mentio patris *C. f.* sumendum mihi necessario videtur praenomen ipsius Pulfidii excidisse. **3262**: ego de praenominibus *Fertor* (quod post Fertorem Resium regem Aequiculum, qui primum ius fetiale invenit, non memoratur) vel *Faustus* (quod fuit praenomen Corneliorum patriciorum) non cogitaverim. **3266**: cum De Nino cognomen mulieris legerit *Salutae*, non video cur hanc lectionem non probemus; apparet praenomen muliebri antiquum, quod Corfinii saepius invenitur, saec. p. C. II iam factum esse cognomen (ut saepius factum est in

praenomine virorum). **7289** “Nomen Cristidii hic solum in titulis Latinis occurrit”; addi tamen poterat idem nomen Corfinii memorari etiam in titulis semilatini laudatis in hoc fasciculo p. 1443. **7340**: nihil meo quidem iudicio obstat, quin sumamus nomen *Maglatii* esse gentilicium (quo homo in n. 3267 memoratus usus sit pro cognomine); nescio an possit cogitari de forma syncopata nominis **Magulatius* (cf. *Magul(i)us* et e.g. *Sullius* ~ *Sullatius*, *Velius* ~ *Velatius* etc.). **3319**: cum littera *G* in titulis saepius habet eandem formam ac littera *C*, quaerendum mihi videtur, num nomen possit intellegi non *Acrius* sed *Agrius*, praesertim cum *Agrii* inveniantur Superaequi (7398). **7392** “saec. I. medio p. C. n. tribuerim”: “p. C.” videtur esse error pro “a. C.”, cum omnia in hoc titulo indicent aetatem fere Ciceronianam. **7410** et in indice p. 1702: mihi nominativus nominis *Colcini* (dat.) est *Colc(h)is* (quod cognomen legitur in titulo Pinnensi 3363). **3356**: “Caii Lucii”: at hic et in titulo qui sequitur 3357 memorantur non *C.*, sed *Cn. Lucii*. **3363**: mihi iam videtur posse quaeri, num *Dressel* in titulo “evanido” errore legerit *SALVDEIAE* (quod nomen alibi non memoratur) pro *Salvidenae*. **7482**: pro “sententia tristissima” fortasse intelligendum est “tritissima”. **3393**: “Cognomen Caesiae non reperio in ... *Repertorium*2” (cf. ad n. 3463 de cognomine *Atilii*): at *Caesius* est nomen gentilicium, et notandum est in *Repertorio* inter cognomina non esse recepta gentilicia quae in usu erant pro cognominibus veris. **3426**: Hic titulus honorarius a B., qui in hac re sequitur opinionem F. J. Vervaeet, attribuitur Domitio illi Corbuloni; ex commentario autem non apparet, quae iam sit vera lectio versus primi incipientis, ubi *Dresselius* videtur legisse [*P*]risco. **3429**: nomina eorum, qui scribundo adfuerunt (quae verba in versione Italica sunt omissa), videntur excidisse; nisi sumi potest ex sequentibus significari universos. **3487**: recte ut puto B. litteras *A-L-L* habet pro nomine gentilicio (e.g. *All(ius)*); ita videndum, num quod sequitur, quod lectum est *MART*, possit intellegi *marit(us)* litteris *I* et *T* inter se conexas. **3497**: intelligendum esse *Tymeleni Digniae Aquilae* (*servae*) putat B.; si ita interpretamur, sumendum est *Thymelen* fuisse servam *Digniae*, uxor *Aquilae* cuiusdam (*Aquila* enim cognomen est non mulierum sed virorum). At cogitari fortasse potest de cognomine ante nomen posito ita, ut memorata sit *T(h)y mele Dignia* (= *Dignia T(h)y mele*), uxor *Aquilae*. **3512**: cognomen *Bonifacius* mihi non videtur esse corrigendum in *Bonifatius*. **3549**: hic homo, ut mihi quidem videtur, appellatus est *P. Rufrius T. f. Qui. Pius Pudens* (cf. *Vornamen* p. 298 adn. 64); *filio* post indicationem patris *T. f.* additum est, ut significaretur *Pudentem* fuisse filium non *Titi alicuius*, sed *T. Rufri* *Parmenonis* qui titulum posuit. **3582**: si nomina *Bruttiae V. f. Sabinae* bene lecta sunt, nullo modo potest agi de liberta *C. Brutti Praesentis* consulis. **7631**: *Te(r)tius Pomp(oni)us Pom(ponis) f.* Praenomen *Tertius* cum inveniat praesertim in Italia septentrionali, quaeri potest, num potius agatur de praenomine eo, quod in titulo *AE* 2010, 432 reperto *Urvini Mataurensi* brevitur *Tet(-)*.

Id porro paulum miror, B. hic et illic nihil dicere de nominibus quibusdam quodam modo notabilioribus, praesertim cum saepius aliquid dicatur ad nomina non rara (e.g. 7072 ad nomen *Mevii*). Notavi e.g. haec nomina quae quodam modo potuissent illustrari: **7053** *Aburrius* (addi

potuisset hoc nomen reperiri etiam Albae Fucente: *CIL* IX 3726 = I2 1768). **3104** *Sebiticus*. **3252** *Erindini* dat. **6409b** *Nafidi* dat. **7293** *Augia* fem. **3367** *Sicyonius*. **7492** *Aurician(us)* (hoc cognomen, ductum ex cognomine virorum *Auriculae/Oriclae*, hic videtur memorari primum). **3442** *Sinitius*, **3542** *Estanius* (nomina quae alibi non memorantur). Notari potest etiam hoc, in titulis quibusdam praesertim (sed non solum) Corfiniensibus legi cognomen *Paelinus* vel *Paelina* (cf. *deam Pelinam* 3314); ad hoc cognomen refertur 6999 et alibi ad ea, quae B. scripsit in *Epigraphica* 1997 p. 246 = Id., *Abruzzo e Molise* I p. 330, ubi tamen solum memorantur alia exempla huius cognominis, cum potuisset addi agi de forma quadam vulgari vel populari cognominis *Paelignus* (cf. *Marsus Sabinus* eqs.), id quod apparet vel ex eo, quod Sallustius Paelignianus consul anni 231 in titulis quibusdam dicitur *Paelinianus* (*CIL* X 6769; *AE* 1914, 164 [Beneventi]).

At haec omnia videbuntur minoris momenti iis, qui considerant primum laboris huiusmodi corporis scribendi magnitudinem et deinde eiusdem laboris fructum, scilicet hoc ipsum volumen 500 fere paginarum. Ut iam supra scripsi, agitur de opere magnifico quod et mihi ipsi et innumerabilibus rerum Romanarum studiosis erit utilissimum. Ita non possum non ipsi Marco Buonocore agere gratias eodemque tempore gratulari eidem.

Olli Salomies
Universitas Helsingiensis

STEFANO ROCCHI – ROBERTA MARCHIONNI: *Oltre Pompei: Graffiti e altre iscrizioni oscene dall'Impero Romano d'Occidente. Introduzione, testo, traduzione e commento filologico*. Presentazione di ANTONIO VARONE. *The Seeds of Triptolemus – Studies on the Ancient Mediterranean World 1*. Deinotera editrice, Roma 2021. ISBN 978-88-89951-29-3. 160 pp. EUR 16.

This study has its origins in the obscene inscriptions discovered on the walls of Pompeii. The Pompeian material is well known and has been studied extensively, while similar material found elsewhere in the Roman Empire has received less scholarly attention. The aim of Rocchi and Marchionni's study is to present and examine a selection of obscene writings from other parts of the Roman Empire, focusing on the sources written in Latin. This thematic approach is a welcome one as many obscene inscriptions are buried in separate volumes of epigraphic editions. The book is the first in a new series, edited by Stefano Rocchi and Spyridon Tzounakas, which promises to offer new and innovative scholarship about the ancient world. With this well-crafted book the series is already delivering on its promise.